

176 CAP. II. DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

et omnium quorumcumque qui Extravaganti AD REGIMENTUM, seu aliis Constitutionibus Apostolicis continentur. Ejusmodi indulgentorum unum exemplar afferit et illustrat Rigantius in Regulam IV^{am} Cancellariae § 5 n. 25. Verum haec Indulta sive communia, sive extraordinaria tam valent, quam verba sonant, nec ultra verborum proprietatem producenda sunt, sic tamen ut Indultum inane et supervacaneum non reddatur. Ubi vero dubia et obscura verba sint ea ratione explicanda sunt, ut quo ad ejus fieri possit, coercentur, quoties Indultum liberam Episcopis adimat, qua jure gaudent, conferendi facultatem : tum enim officit juribus tertii, et inter odia numeratur. Quoties autem Indultum officit nemini, late explanandum est, quod purus favor et beneficium Principis censetur : beneficia vero quam plenissime interpretari debemus, L. 3. ff. de Constit. Princip. Interim monendum est, eam esse cuiuslibet Indulti legem, ut quisquis beneficium aut ratione mensis, aut ex alia causa reservatum, a Cardinalibus vi Indulti consequatur, is omnino debeat intra quatuor menses litteras novae provisionis a Sede Apostolica impetrare.

Praeter Cardinales sunt alii Collatores, qui non jure ordinario et proprio, sed jure tantum delegato, sive ex privilegio aut consuetudine, vel praescriptione immemorabili beneficia conferunt. Hoc loco Canonistae tradunt, quod si collatio beneficii ad eum pertineat, qui nec Episcopus sit, nec praeditus jurisdictione quasi Episcopali, quanquam titulum beneficii conferre possit, institutionem tamen auctorizabilem, quo nomine regimen et cura animarum intelligitur, largiri nequit, quandoquidem animarum curam tribuere ad unum Ordinarium pertinet. Hinc Monasteria et Capitula Canonicorum conferunt Paroecias sibi unitas, in eisque institutionem auctorizabilem conferunt, si tamen vi unionis populum exemptum habeant, et in eo quasi Episcopalem jurisdictionem consequata sint. At ubi jurisdictione Episcopalis penes Episcopum vel Ordinarium manet, si jus Monachis, aut Canonicis est Pa-

§ XCIV. DE IIS QUIB. BEN. CONFERRI POSSUNT. 177

roecias conferendi, institutio seu cura animarum ab Episcopo petenda et danda est.

§ 94.

DE IIS QUIBUS BENEFICIA CONFERRI POSSUNT.

Hactenus de Collatoribus Beneficiorum : sequitur modo ut dicamus de iis quibus beneficia conferri possint. Est autem generalis regula, et praescriptio Canonum esse beneficia idoneis conferenda, cap. 29 de Praeben. et cap. 3 de concess. Praeben. Jam vero multa desiderantur, ut aliquis ad beneficium idoneus habeatur. Haec consistunt : 1. *In ordine clericali*, unde beneficiorum incapaces sunt laici, tantumque Clericis saltem tonsuratis et Monachis beneficia conferri possunt, eoque discrimine ut saecularia beneficia saecularibus, et regularia regularibus conferantur. Oportet praeterea ut Clericus eo ordine fuerit insignitus, quem beneficium postulat, aut saltem ad eumdem ordinem intra annum promoveatur. 2. *In statu non conjugali*, nam Clerici conjugati ex veteri latinae Ecclesiae disciplina nequeunt beneficia consequi ; quin Clericus ineundo nuptias jure ipse amittit beneficia quae ante obtinuerat. At viduus, dum maritale conjugium quod inverat, per mortem uxoris solutum est, beneficiis augeri rite poterit, modo bigamus non sit. 3. *In canonica aetate* ; quandoquidem Tridentinae Synodi decreto cautum est, ut nemo ante annum 25 assumatur ad beneficia quibus animarum cura incumbit. In Capitulis vero, in quibus facta est distributio Sacrorum Ordinum, quatenus nempe Canonicatus adnexum habeant Ordinem Presbyteratus, Diaconatus, et Subdiaconatus, « nemo deinceps ad Dignitatem, Canonicatum, aut portionem recipiatur, nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus, quem illa Dignitas, praebenda, aut portio requirit, aut in tali aetate sit, ut infra tempus a Jure et ab hac sancta Synodo statutum (id est infra annum) initiari valeat, » Concil. Trid. sess. 24

cap. 12. Et eodem capite : « Ad caeteras autem Dignitates vel Personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei et viginti duobus annis non minores adsciscantur. » Ubi vero nulla facta est distributio Sacrorum Ordinum pro Canonicatibus, quibus nec Dignitas, nec Personatus adnexus est, sufficit aetas 22 annorum inchoata ex declaratione S. Congregationis Concilii; imo ex alia declaratione ejusdem S. Congregationis sufficit, Canonicum vigesimum primum aetatis annum Ordine Subdiaconatus initiari. Item simplicibus beneficiis obtinendis sunt impares, qui annum 14 non attingant. 4. *In legitimis natalibus* : legitimi natales, cum quis ex legitimis nuptiis natus est, secus autem si ex turpi, vel illegitimo concubitu procreatus. Illegitimi ab omnibus ordinibus et beneficiis arcentur, sive in poenam paterni criminis, sive ob metum ne filii paternam incontinentiam imitentur, sive ob labem quamdam et maculam, qua Ecclesia ipsa aspergeretur; quamobrem illegitimi dispensatione indigent. Ecclesiastici Superioris, ut beneficiis obtinendis habiles fiant, nisi jam per subsequens matrimonium, et non aliter legitimi effecti sint. Et quidem si de minoribus Ordinibus, aut de beneficiis curam animarum non habentibus agatur. Episcopus potest auctoritate propria dispensare : pro reliquis Ordinibus et Beneficiis unus Pontifex dispensat, sed filii Clericorum illegitimi nunquam dispensationis gratiam ab Episcopo consequi possunt, ut beneficium quodcumque habeant in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum possederunt, quod sancivit Trid. Synodus sess. 25 cap. 15 de Ref. « ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis longissime arceatur. » Nepos tamen legitimus ex patre illegitimo natus, est capax beneficii, quod avus ante possebat, uti S. Rota et Congregatio Concilii responderunt. Filiī vero Presbyterorum legitimi, videlicet ex justis nuptiis ante sacram Ordinationem suscepti, in eadem Ecclesia, ubi pater aut habet beneficium, aut habuit, officio et beneficio

ecclesiastico donari possunt, cap. 12 de filiis Presbyt., modo illud ipsum beneficium quod pater ubicumque tenuit, filii non conferatur, ne in collatione beneficiorum species haereditariae successionis inducatur. At patri rite beneficium defertur, quod filius proxime obtinuit, sicuti tradit Benedictus XIV de Synodo Dioeces. lib. 13 cap. 24, ubi plures quaestiones ad rem nostram prosequitur. Filii quoque haereticorum, eidemque faventium ad secundum gradum in linea paterna, et ad primum gradum in materna linea removentur a beneficiis, ubi parentes in haeresi decesserint. Denique hoc loco non erit abs re commemorare Constitut. S. Pii V incipient. QUANTA, qua Episcopi, aliisque inferiores Collatores omnino vetantur beneficia in eorum manibus resignata aut suis, aut resignantium consanguineis, affinibus et familiaribus conferre, etiamsi collatio per concursum magis idoneis facienda esset, idque ob suspicionem pactionum et fraudum quae in resignationibus facile irrepere possunt. Quae quidem suspicio cum procul absit a collatione Beneficiorum quae per obitum vacant, nihil obstat, quin ab concursum eorumdem beneficiorum per obitum vacantium, consanguinei, affines, et familiares defuncti Rectoris admittantur; quod Sixtus V declaravit. Confer Benedict. XIV cit. loc. 5. *In scientia sufficienti* : nam « litteris carens sacris non potest esse aptus officiis, » uti ait Gelasius P. in can. I dist. 36, et passim S. Canones. Quum vero omnia beneficia non ejusdem ponderis et industriae sint, non eadem scientia in omnibus beneficiis desideratur. Perfecto ea beneficia, quibus animarum cura incumbit, eminentiorem scientiam simul et prudentiam requirunt, quia ars artium est regimen animarum. Item Canonicī Cathedralis Ecclesiae, cum Episcopi Senatum efficiant, eique consilio et opera in rebus gravioribus praesto esse debeant, ita oportet ut divinarum rerum, et Sacrorum Canonum doctrina praediti sint; et idcirco Trid. Synodus voluit, ut Archidiaconus et Poenitentiarius aliquo Academicō gradu in Theologia, vel

Jure Canonicō ornarentur, et simul hortata est, ut Dignitates omnes et saltem dimidia pars Canonicatum in Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis insignibus iis tantum viris conferantur, qui gradum aliquem in Juris aut Theologiae disciplina adepti essent. Generatim autem beneficia omnia eam scientiam expostulant, quae rite obeundis officiis beneficio adnexis sufficiat. 6. Demum praediti sint oportet iis specialibus dotibus, quae a statutis Ecclesiarum, seu moribus aut legibus fundationis requiruntur, ex. gr. civitas, aut jus civitatis, nobilitas generis et hujusmodi. Quin imo sunt plures Ecclesiae et Capitula, quae seu statutis, seu consuetudine aut privilegio solis Nobilibus patent, licet Sacri Canones non genus, sed virtutem spectent. Praeclare Gregorius IX, cap. 37 de Praebend.: « non generis, sed virtutis nobilitas, vitaeque honestas gratum Deo faciunt et idoneum servitorem. »

At vero non satis est dotibus fulgere quas memoravimus, ut aliquis beneficio idoneus habeatur, sed praeterea carere debet omni crimen vel defectu, quo a divinis officiis repellatur. Hinc beneficiorum capaces non sunt excommunicati, suspensi et irregulares. Cum enim susceptione S. Ordinum, et ipsorum usu interdicantur, sic etiam indirecete saltem inhabiles sunt obtinendis beneficiis, quibus adnexus est ordo et ordinis usus: ex eo enim « quod quis prohibetur ab uno, prohibetur etiam ab altero ei connexo » cap. TRANSLATO de Constitut. « Etsi autem, uti prosequitur Leurenus in For. benef. part. I quaest. 335: « Non omnia beneficia supponant ordinem, non tamen etiam admittunt impedimentum canonicum ad ordines suscipiendos et ministrandum in illis, cum omnia beneficia dentur intuitu ordinum, quatenus nimirum dantur, ut praeviae quaedam dispositiones ad illos, ut Beneficiati ex hoc disponantur ad suscipiendos Ordines, ut patet ex eo quod beneficia non dentur nisi habenti primam tonsuram, tanquam dispositionem ad ordines. »

Postremo loco illud praetereundum non est, quod etsi bene-

ficia idoneis et dignis tribuenda sint, tamen inter plures dignos dignior eligendus. Profecto in ecclesiasticis ministeriis digniorem praeterire vergit in Ecclesiae detrimentum, quae per digniorem melius administraretur, ejusque praeteritio fere adjunctam habet personarum acceptiōem a Sacris Canonicibus reprobatam. Verumtamen collationes dignis factae digniore posthabito sunt illicitae, atamen ratae. « Ut electio inquit S. Thom. 2, 2 q. 63 a 2 ad 3, impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, non oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio habere posset calumniam. Sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune. » Sed Parochiales Ecclesiae dignioribus conferendae sunt, videlicet illis qui aetate, moribus, doctrina et prudenter caeteris antecellant; secus collatio irrita et nulla est. Hinc Tridentina Synodus cap. 18 sess. 24 de Reform. legem tulit de concursibus habendis in collatione Parochialium, quae ad liberam Ordinarii collationem pertinent, vel jurispatronatus ecclesiastici sunt, ut ex praevio concurrentium examine dignior perspici possit. Inde S. Pius V, Constitut. IN CONFERENDIS, et S. Congregatio Concilii jussu Clementis XI in ep. Encyclica diei 10 Januarii 1721, et demum Benedictus XIV, in Constitut. QUUM ILLUD diei 14 Decemb. 1842, formam concursus habendi praescriperunt, atque dignioribus, si qui in collatione posthabiti essent, facultatem dederunt a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili iudicio Episcopi appellandi, in devolutivo tamen, et infra decem dies a die collationis numerandos.

§ 95.

DE FORMA COLLATIONIS.

Jure communi veteri nec certa verborum formula, nec lit-

teris, seu scriptura in collationibus Beneficiorum opus fuit, et idcirco beneficium rite conferebatur per quaecumque verba aut signa, quibus voluntas collatoris et ipse actus collationis demonstraretur: adhibebantur etenim certa symbola, veluti annuli et baculi traditio, birreti impositio et hujusmodi, quae adhuc retinentur: scriptura vero non admodum erat exsculpta et usitata. Sed jure novo ad firmorem et certiorem rei memoriam, et fraudes avertendas, si non certa lege, at certe praxis consuetudine omnium Tribunalium ecclesiasticorum recepta, collationes fieri sine litteris nequeunt, et nemo sine eisdem litteris expeditis, et exhibitis in Beneficii possessionem admittitur; quin imo ubi praesertim de collatione Apostolica sermo sit « si quis fuerit adeptus possessionem ante litteras expeditas, suos non facit fructus et tenetur in conscientia ad eorum restitutionem, etiamsi nemo se opposuerit, » quod tradit Lotterius de re Benef. lib. 2 q. 2. Sane de Beneficiis electivis et majoribus apertus est textus in cap. INJUNCTAE de Elect. inter Extravag. com., quo vetantur electi et confirmati Ecclesiae administrationem capessere, nisi Litteras Apostolicas acceperint, et poena suspensionis a percipiendis suorum beneficiorum fructibus in eos animadvertisit, qui sine hujusmodi litteris eosdem electos in Episcopos receperint, aut eisdem obtemperaverint.

Non vero eadem ratione Ordinarii Collatores, et Summus Pontifex litteras collationis expedient. Quod ad litteras collationis Ordinariorum attinet, eas sex partibus constare vulgo traditur, in quarum prima Collator proprium nomen et dignitatem significat, et Clerico cui beneficium collatus est, salutem dicit. In secunda exprimit collationis causam, scilicet ipsius Clerici merita, nec unquam ullius supplicationis aut petitionis mentio fit, ne videatur magis supplicantum et ambientium cupiditati, quam virtutum meritis praemium tributum esse. Si tamen collatio praevio concursu, aut Patroni nominatione seu presentatione fiat, id etiam exprimentum est.

In tertia explicatur modus vacationis et tempus, titulus beneficij et Ecclesia ubi situm est, tum reipsa beneficium assignatur et conferunt eidem Clerico proprio nomine et cognomine designato. In quarta delegatur facultas omnibus tabellionibus, aliisque personis ecclesiasticis, ut Clericum, facta primum professione fidei coram Vicario Generali, in collati Beneficij possessionem admittant. In quinta Cancellarius Collatoris, vel Notarius litteras collationis subscribit, et in aliquibus Dioecesis subscruntur, etiam duo testes qui collationi interfuerint. In sexta denique apponitur data expeditionis, seu annus, mensis, et dies quo collatio perfecta est.

Jam vero Collatores Ordinarii neque promittere, neque conferre beneficia possunt, antequam vacent; vacantia vero infra sex menses conferre debent, secus enim pro ea vice collationis jure cadunt. Beneficia quoque conferre debent in perpetuum, et omnino gratis, ac sine ulla diminutione, vel divisione tituli, aut redditum, et absque ullo pacto, conditione, aut modo; et aliter facta collatio omni labore et validitate destituitur.

Pontifex collationis litteras expedit dupli modo seu forma, quarum una *in forma gratiosa*, altera *in forma dignum*, seu *in forma commissaria* nuncupatur. Litterae provisionis *in forma gratiosa* tum dantur, cum Pontifex, intuitu meritorum quibus aliquem Clericum ornatum et apud se commendatum esse affirmat, eidem beneficium confert, et proinde Executori non permittitur ejusdem Clerici merita ad examen revocare. Hinc hujusmodi litterarum exordium esse solet: « Vitae et morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita inducunt, etc. » Et si Clericus in sacris disciplinis Doctor, aut Licentiatus fuerit, exordium est: « Litterarum scientia, vitae et morum honestas... » Si nobili ex genere natus: « Nobilitas generis... » Si regularem Ordinem professus: « Religionis zelus, vitae merita, etc. » Si demum familiaris Pontificis extiterit: « Gratia devotionis et familia-

ritatis obsequia, quae Nobis, et Sedi Apostolicae hactenus impendisti, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistis, non vitae et morum honestas, etc. » Litterae vero *in forma dignum*, ita dictae quod Bulla his verbis incipiat : « Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat Sedes Apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur, » illae sunt, quibus Pontifex mandat Ordinario, ut certum beneficium alicui conferat, si tamen praevio examine idoneum esse repererit. Litterae *in forma dignum* dicuntur etiam *in forma commissaria*, quod Pontifex proprie beneficium non confert, sed collationem Ordinario committit, et mandatis de providendo assimilantur; sed *in forma gratiosa* ipse per se Pontifex Beneficium confert, et Exsecutor ob eam solam causam inducitur, ut provisum in corporalem possessionem immittat. Primum litterarum genus ferme usurpatur in beneficiis conferendis, quibus animarum cura inhaeret: in caeteris Beneficiis forma gratiosa facilius adhibetur.

Antequam litterae, seu Bullae Apostolicae confiantur, breve compendium earumdem litterarum exaratur, quod summa capita totius rei complectitur, et vocabulo Curiae *Sigillatura* vocatur, propterea quod ab ipso Pontifice vel ejus Delegato signatur. Hinc a Rebuffo definitur: « Scriptura in papyro conscripta, a Papa vel ejus delegato signata, absque sigillo, in medio scripta, partis (hoc est Clerici) supplicationem, Papaeque concessionem breviter continens. » At vero Bullae seu Litterae Apostolicae quinque partibus constant, prooemio, narratione, dispositione, derogatione contrariis, et designatione Exsecutorum. Prooemium varium est pro diversa forma aut gratiosa, aut commissaria, quod jam dictum est.

In narratione singillatim exponuntur preces Pontifici oblatae, qua in re videndum est, ne quid veri reticatum, aut aliiquid falsi prolatum sit. Nam tacita veritate, vel suggesta falsitate quasi dolo quodam supreptae litterae sunt irritae, nulliusque momenti, cap. 20, 22 et 37 de Rescript. et cap. 6 de

concess. Praeben. Haee vero speciatim enarranda sunt: 1. Non solum nomen et agnomen Clerici, sed etiam Dioecesis, in qua tum Clericus ortum aut domicilium habuit, tum beneficium situm est: nam Pontifex censemur malle indigenis, quam exteris providere, si praesertim beneficium curatum sit, cum Trid. Synodus cap. 7 sess. 24 de Reformat. jusserit, ut Parochi lingua vernacula sacra eloquia et salutis monita exprimant, quo etiam pertinet Regula 20 Cancellariae de idiomate. 2. Leges peculiares locorum, an adsit statutum aliquod, seu privilegium, aut pactum cum Apostolica Sede initum, quo beneficium certis personis conferendum sit, Regul. 18 Cancellariae de non tollend. jus quaesit. 3. Qualitas beneficii, num simplex, num curatum, an regulare, an saeculare, num Dignitas, num personatus, vel officium, num liberae collationis, an electivum, vel jurispatronatus. Regul. Cancell. 57 de expressione qualitatum beneficiorum in impetracionibus. 4. Verus annuus redditus beneficii per florenos auri, vel ducatos auri de Camera, seu aliam monetam secundum communem aestimationem, Reg. Cancell. 55 de exprimendo valore beneficiorum. 5. Modus vacationis, an per obitum seu resignationem, an alio quovis modo, cap. SUSCEPTUM de Rescript. in 6°, et mensis quo vacavit, ex Reg. 9 Cancell., simul et locus vacationis, an videlicet beneficium in Curia intra duas diaetas, an extra Curiam vacaverit. 6. Familiaritas, si beneficium per cessum vel decessum familiaris alicujus Cardinalis vacaverit, quod in iis conferendis consensus aut Cardinalis patroni, aut Cardinalis Ordinarii Collatoris postuletur, ex Regulis Cancell. 32 et 33. 7. Dignitates et Beneficia omnia etiam exigui valoris, si qua Clericus possideat, cap. AD AURES de Rescript. nisi collatio motu proprio Pontificis facta sit; motu autem proprio collatio fieri censemur, cum id expressum in litteris habeatur, cap. SI MOTU PROPRIO de Praeben. in 6.

Dispositio est ipsa concessio beneficii, quae interdum fit

sub conditione, v. g. dummodo tempore datae praesentium non sit alteri jus quae situm, dummodo a medietate saltem patronorum sit praesentatus, dummodo ad nos dispositio hac vice pertineat. Interdum fit sub modo, hoc est adjecto onere ex. gr. annuam pensionem persolvendi, doctoris gradum vel sacros Ordines infra annum suscipiendi; interdum fit sub causa, ex. gr. ut decentius sustentari valeas; et denique interdum dispositio differtur in diem, cum ex. gr. postulatis Principum dignitas cum adnexa jurisdictione impuberi conceditur, sic tamen ut accessum vel ingressum ad eam habeat, postquam ad legitimam aetatem pervenerit, et interim ejusdem dignitatis cura et administratio idoneo Presbytero commendetur.

Dispositioni succedunt derogationes tum speciales, tum generales Constitutionibus, quae collationi obstarent, ejusque executionem impedirent. An vero generalis derogatio « non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus quibuscumque in contrarium facientibus, » deroget Constitutionibus generalium Conciliorum si quae sint, an earundem Constitutionum, seu Conciliorum specialis et expressa mentio facienda sit, Canonistae disputant. Generalem derogationem satis esse, nec speciale desiderari plerique putant, quibus consentit Gonzalez ad cap. 3 de Capellis Monach., et Passerinus ad cap. 4 de Constit. in 5 quaest. un^a art. 13, qui hanc rem prae caeteris accuratius et uberior explicavit. Antiqua S. Curiae praxis huic sententiae favebat, sed modo ex Curiae ipsius praxi speciatim derogari solet. Ad Regulas Cancellariae quod attinet, generalis clausula, « non obstantibus Regulis Cancellariae, quarum tenores habeantur pro expressis, hodie non sufficit, sed specialis regula quae obsterit, distincte enarranda, eique speciatim derogandum, quod Reg. 71 ejusdem Cancellariae sancitum est. Similiter generalis derogatio « non obstantibus quibuscumque » non derogat privilegiis, statutis, vel specialibus consuetudinibus, nec juribus tertii, cap. Si

PROPTER de Rescript. in 6. Unde Pontifex per eam generalem clausulam non censetur derogare juribus patroni praesertim laici, nec conditionibus in limine fundationis adjectis et probatis.

Designantur praeterea Executores, illi nempe qui litteras Apostolicas ad effectum perducant, possessionem beneficij tribuendo, quam dicunt institutionem corporalem, sine qua beneficiatus nec fructus, nec officium spirituale explicare potest. Si litterae *in forma grata* exaratae sint, Executor in eis designatus, est purus et simplex, ut proinde visis Apostolicis litteris Beneficiatum in possessionem beneficij sine mora deducat. At si litterae *in forma dignum* datae sint, Executor efficitur mixtus, et judicis personam assumit, ut cognoscatur de veritate clausularum seu conditionum eisdem litteris adjectarum, ex. gr. an Beneficiatus idoneus sit, an consensus mediae partis patronorum accedit, an alteri sit jus quae situm et hujusmodi.

Denique concluduntur litterae per adscriptionem diei, mensis, et anni sub quo datae sunt, ut duobus ad idem beneficium concurrentibus satis liqueat, uter praferendus sit: prior autem tempore potior est jure. At si perspicuum non sit, uter primus litteras impetrarit, is praferendus est qui nullum alium Canonicatum vel Beneficium antea adeptus est: si uterque aliquo beneficio careat, is vincit qui litteras Executori primus praesentavit, et si ambo simul praesentaverint, beneficium ei confertur, cui major pars eligentium favet, nisi ex litteris perspicuum sit, quem Pontifex praeferre maluerit, cap. DUOBUS de Rescript. in 6.

Pro diverso valore Beneficiorum annatae solvenda: haec autem sunt dimidium fructuum primi anni, quod novus Beneficiatus Camerae Apostolicae solvit in antecessum, dum nempe litteras Apostolicae collationis accipit.

Quindennia, seu Quindenae sunt dimidia pars fructuum unius anni eidem Camerae solvenda singulis quindecim annis